



# INDEX.

I.	—	—	—	Excercita controversiarum illustrium de Soto Vellezano.
II.	—	—	—	de sponsalibus.
III.	—	—	—	de tutela ex jure publico, feodali et canonico.
IV.	—	—	—	de testamento inefficioso.
V.	—	—	—	de Testamentis Principum Imp.
VI.	—	—	—	de successione ab intestato quoad ascendentes et collaterales.
VII.	—	—	—	de consilio.
VIII.	—	—	—	de comodato.
IX.	—	—	—	de cambio.
X.	—	—	—	de actionibus.
XI.	—	—	—	de artibus.
XII.	—	—	—	de aedificiis.
XIII.	—	—	—	de fidejussoribus.
XIV.	—	—	—	de servitio imperii.
XV.	—	—	—	de donationibus mortis causa.
XVI.	—	—	—	de liberis illegitimis.
XVII.	—	—	—	de legitima.
XVIII.	—	—	—	de lege Rhodra de jactu.
XIX.	—	—	—	de jure et eius officio.
XX.	—	—	—	jure verandi.
XXI.	—	—	—	de rebus pro derelictis habitis.
XXII.	—	—	—	de patria potestate.
XXIII.	—	—	—	de pretio in emptione venditione.
XXIV.	—	—	—	de appropriationibus.
XXV.	—	—	—	de vi publica vel privata.
XXVI.	—	—	—	de testamentis.

Wd. 79.



DISSERTATIO JU.  
RIDICA

DE

CAVTIONE  
VSVFRVCTVARIA

*Quam*

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Consultissimo atque  
Excellentissimo*

DN. JOH. HENRICO  
FELTZIO,  
J. U. D. Pandect. & Jur. Canon.  
P. P. celeberrimo

*ad Diem 16 Maji M DCC XV.*

SOLENNITER pro viribus  
defendet

CAROLUS MICH. de ROIFFE  
D'HANGEST,  
Argentinenſis Auctor.

---

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.



V I R O  
Nobilissimo, Amplissimo atque  
Prudentissimo

D O M I N O  
J O H A N N I  
C A B O U D ,

Scutario Nobili & Directori An-  
nonæ militaris in Alsatiaë  
Provincia Primario.

Has qualescunque  
Studiorum suorum Juridicorum  
Primitias in æternæ, quæ innumeris  
ab ejus benignitate perceptis be-  
neficiis debetur, gratitudinis tes-  
feram

*humillima observantia*

dat dicat dedicat

CAROLUS MICHAEL de ROIFFE D'HANGEST.





DE  
CAUTIONE USUFRU-  
CTUARIA.



Mnis ille, qui usum-  
fructum seu verum seu quasi  
Testamento vel inter vivos a domi-  
no proprietatis accipit, tenetur ad  
cautionem ita dictam usufructuariam  
proprietario præstandam; ita enim Alexander *A.*  
*in l. 4. Codice de usufructu & hab. & minist. serv.* Verbi-  
cio rescribit: Usufructu constituto consequens est,  
ut satisfactio boni viri arbitrata præbeatur ab eo,  
ad quem id commodum pervenit, quod nullam læ-  
sionem ex usu proprietati afferat; nec interest, sive  
ex testamento sive ex voluntario contractu usus-  
fructus constitutus sit. Ut autem voluntas legis  
scopum suum assequatur, requiritur, ut sit cautio  
sufficiens & idonea; habemus enim quatuor cau-  
tionum genera; promissoriam, juratoriam, pignora-  
tiam & fidejussoriam. Statim ergo patet, tam

A 2

pro-



promissoriam quam juratoriam sufficientem non esse; cum promissa non modo simplicia sed & juramenti vinculo obfirmata ob innatam hominum malitiam frequentissime fallacia deprehendantur, consequenter parum securitatis creditoribus progenerent. Ergo vel pignoratitia vel fidejussoria primum vel secundum locum inveniret, & quidem in jure nostro nomine satisfactionis ut plurimum fidejussio intelligitur, præcipuè in nostrâ materiâ, in quâ cautionem introductam videmus a Prætorè, utpote a quo omnis cautio fieri videtur datis fidejussoribus *DD. ad l. i. pr. usufr. quemad. car. l. sancimus C. de verb. signif.* Quod si tamen fidejussores inveniri nequeant; ex mente Legislatoris & Prætoris pignoratitia quoque sufficiens erit. Cum enim necessario cavendum sit, ut securus sit dominus ratione proprietatis; deficientibus fidejussoribus ad pignora confugiendum erit, utpote quibus securitati pariter consulitur proprietariorum.

Cavetur autem in vero usufructu quoad duo puncta ab usufructuario i. se usurum re usufructuaria boni viri arbitrato, id est, tanquam bonum patremfamilias; secundo se finito usufructu restitutum, quod inde extabit *tot. iii. ff. quemadm. usufr. cau.* In quasi usufructu cavetur de rebus ejusdem qualitatis & quantitatis restituendis, aut tantâ pecuniâ restituendâ, quanti illæ fuerint æstimatæ §. 2. *Inst. de usufructu*; quod ultimum certius & tutius esse probat ratio & lex. *Conf. l. 2. ff. de usufr. earum rerum.* Clausula enim de utendo boni viri arbitrato *l. i. ff. usufr. quemadm. cau.* ad quasi usufructum non pertinet



tinet, absurdumque esset, rei dominum, qualis est quasi usufructuarius, talem cautionem præstare; *Vinnius ad Inst. de usufr.*

Oritur jam controversia, si usufructuarius fidejussorem invenire non possit, vel pignora sufficientia non possideat, quale remedium usufruct. competat ad id, ut usumfructum sibi vindicare possit; *Accursus, Bertrandus, Romanus, Jason*, ita referente *Fachineo controversiar. jur. L. VIII. Capite XL.* statuunt, hoc casu juratoriam cautionem non sufficere ad id, ut usufruct. asseri possit, moti autoritate regulæ, quod toties juratoria cautio non admittatur, quoties cautio datis fidejussoribus requiritur *l. filiusfam. vers. iidem Principes. ff. de Leg. 1. L. 2. C. de Tutore vel Curatore, qui satis non dedit.* Adjiciunt *Legem 7. ff. quemadm. usufr. cau.* Ibi *Ulpianus* sic definit: si usufructus nomine tradita re satisdatum non fuerit, *Proculus* ait, posse hæredem rem vindicare. Cui adjungunt *l. ult. ff. eodem* ita disponentem: ergo, cum non fiant fructuarii vasa, vindicari a proprietario possunt, cautione non datâ. Alii sunt, qui juratoriæ cautioni locum concedunt, si usufructuarius bonæ famæ vir sit, aut alias claræ conditionis; quam in sententiam transeunt *Bartolus ad l. 4. C. de usufr. Guido Papa, Marsil. Portius Cacheranus, Pinellus, Gailius.* & fundamentum opinioni suæ quærunt in *Lege cum non facile ff. si cui plusquam per Leg. falcid. l. §. super peculio C. de Asseri. toll. Aurbent. Generaliter C. de Episc. & Cler. §. sed hodie Insti. de satisfactionibus* quibus ajunt constitutum esse, cautionem jura-



toriam sufficere in casibus, quibus fidejussor inveniri non potest.

Quod si vero dubium sit, an sufficiat juratoria cautio, præprimis, si persona usufructuarii suspecta est, iterum in duas abeunt sententias; prima est eorum, qui ajunt, cum *Bartolo. C. L. Guilhelmo de Cuneo Quidone Papa &c.* Sequestranda esse bona apud aliquem virum bonum & honestum, eumque divitem, qui fructus usufructuario præstare posset. Secunda vero est *Angeli ad Leg. hac Edictali. 6. C. de sec. nupt. Saliceti in l. 4. C. de usufruct. Cavalcanti de usufr. mult. rel. num. 150.* qui æquissimam, ut puto, sententiam amplectuntur. Arbitrantur hi, proprietarium hoc in casu bona retinere & vindicare posse, sed fructuario annuatim certam vel fructuum vel pecuniæ quantitatem pendere oportere, de eaque præstandâ idoneè cavere. Quod si ipse proprietarius idoneè cavere non possit, ad eam sententiam confugiendum esse opinor, quæ bona usufructuaria sequestranda esse censet.

Sed quid, si cautio à constituyente usumfructum remissa sit, an proprietarius tradere usumfructum teneatur, merito quæritur. Cautionem autem usufructuariam a constituyente remitti posse, suadet natura Juris mei, cui in hære aut renunciare pro libero administrationis rerum mearum arbitrio possum per *l. pen. C. de Pactis.* quæ expresse disponit, quemlibet juri sibi competenti renunciare posse; si itaque dominium rei meæ transferre, certe & usumfruct. illius rei ita alicui concedere

re



re posse videor , ut ea de re mihi cavere non te-  
neatur , siquidem cautio in meam utilitatem in-  
troducenda est , cui proinde renunciare nefas non erit.  
Neque hanc cautionis remissionem contra bonos  
mores fieri dicendum est , cum pro basi & funda-  
mento habeat fiduciam honestatis & amicitiae uti-  
que meliorem tristi & anxia diffidentia , quae cau-  
tiones alias suadere solet.

Verum , utut haec naturaliter & abstrahendo a  
Jure Civili ita se habeant , nihilominus Legislator  
regulam hanc Juris Naturae limitare , & in certo ca-  
su restringere potuit ; uti id quoque fecit in casu ,  
ubi testator in testamento cautionem ususfructus re-  
misit. Ita enim Imperator Alexander Proculiano  
rescripsit in *l. 7. C. ut in possess legat. Scire debetis ,*  
*fideicommissi quidem & legati satisfactionem remitti*  
*posse. Divum Marcum & Divum Commodum constituif-*  
*se ; ut autem boni viri arbitrati is , cui ususfructus re-*  
*lictus est , utatur fruatur , minime satisfactionem remitti*  
*testamento posse.* Rationem hujus decisionis obser-  
vamus in favore haeredis , propter quem haec cau-  
tio introducenda est , id quod non tantum probamus  
ex *l. 8. ff. de usufr. earum rerum.* sed & ex antea al-  
legata lege , in qua favor haeredis specialis manife-  
sto apparet. Uti enim in favorem haeredis vergit ,  
si cautio ususfructus nomine legatario non remitta-  
tur , ita in eundem favorem tendit , si cautio nomi-  
ne legatorum haeredi remittitur. Ob hunc igitur  
favorem haeredis singularem testator facere non pot-  
est , quo minus leges in testamento suo locum ha-  
beant , *l. 2. nemo ff. de legatis* nec jus , quod pro alio intro-  
ductum



ductum est, dispositione sua abrogare. Id quod non tantum de vero usufructu sed & analogo ob generalitatem *Legis nostræ* 6. asserimus nequicquam dissentientibus *Petro & Cyno in l. 1. C. de usufr. vide Andrea Siculi Const. 64. lib. 2. Alexandri Consil. 120. num. 6 7. lib. 7.* qui censent, ob cessantem rationem legis cautionem in quasi usufructu testamento remitti posse.

Ex hætenus dictis patet, Legislatorem tantum locutum esse de remissione cautionis testamentaria, vel alius cujuscumque ultimæ voluntatis; undè quæritur, an a proprietario inter vivos cautio remitti possit?

Est quidem satis constans regula, tam ex fontibus interpretationis logicæ, quam ex ipsis legum placitis derivata, quod, ubi similis aut eadem ratio est, etiam idem aut simile jus dictari oporteat; nam, quia non omnes articuli singillatim aut legibus aut Senatusconsultis comprehendi possunt, bona occasio est, cætera, quæ ad eandem tendunt utilitatem, si in aliqua causâ sententia eorum manifesta est, vel interpretatione vel jurisdictione suppleri per *l. 12. & 13. ff. de LL.* Hinc, quoniam talis remissio sive inter vivos fiat, sive testamento, occasionem præbet delinquendi, & rem usufructuariam in fraudem proprietarii dissipandi; nulla ratio videtur suadere, quod remissio cautionis usufructuariæ inter vivos fieri possit. Præprimis, cum testator in fraudem Legis semper caut. usufruct. remittere possit, dummodo id faciat per actum inter vivos, quod sanè tolerandum in sanâ jurisprudentiâ non esset. Undè a communi omnium DD. sententia recedentes non  
vi qui-



vi quidam JCti mire sibi placent, se primos veritatem hanc in puteo Democriti reperisse.

Sed, quam egregiè fallantur, & alios fallere imaginaria melioris praxeos scientiâ cupiant, non solum ex principiis naturalibus, sed ex ipsâ legum nostrarum auctoritate mox ostendam.

Supra jam dictum est, nihil tam naturale esse, quam, quod quisque suæ rei liber sit moderator & arbiter. Vi itaque hujus regulæ quilibet secundum jus naturale pro libitu rem in alterum transferre vel oneroso vel lucrativo titulo potest; unde rem vel jus in illâ re alteri purè, alteri sub conditione revocabiliter vel irrevocabiliter donare possum; libertas mihi porro est, eam rei meæ dictare legem, quam volo; itaque, si rem transfero in alium revocabiliter, permittendum mihi est, diffidere, vel fidem habere de restitutione; & diffidenti exactio cautionis, fidem habenti remissio illius cautionis concedenda est. Hæ regulæ non tantum sunt juris naturalis, verum etiam juris civilis; quod si contra regulas vel per conventionem vel per dispositionem legislatoris exceptio introducitur, Regula ideo non tollitur, sed magis firmatur in casibus non exceptis; unde *Paulus l. 54. ad Edict. in l. 14. ff de LL. ea*, quæ contra rationem juris (id est jus commune) constituta sunt, non esse producenda ad consequentiam pulcherrimè ratiocinatus est; ea autem vel maximè contra rationem juris introducta esse videntur, quæ restringunt humanam libertatem, præcipue eam, quæ mihi competit de bonis meis disponendi. Hinc talia restringentia odiosa dicta, quorum inter-

B

pre-



pretationes sunt stricti juris, nec ad casus non nominatos, imo nec ad similes extenduntur; cum enim omne simile sit dissimile, ratione ejus, in quo dissimilitudo apprehenditur, ratio exceptionis applicari non potest. Jam autem quid odiosius est in nostro casu, quam prohibitio, ne quis alteri fidem habeat de usufructu restituendo, primo quidem, quia, uti dictum, libertatem de bonis meis disponendi restringit, secundo, quia me cogit, ut alterius pietati per dissidentiam, saltem in viro probo honesto & divite ut & amico, quasi injuriam faciam, hoc certe si in vim regulæ valeret, iniquissimum cuilibet crederetur. Ergo si in aliquo casu prohibetur cautio remitti; eidem unice standum, qui proinde ob præceptum ipsius legislatoris ad consequentiam non trahendus erit. Videmus autem, Imperatorem ita definire: scire debetis, cautionem quidem hæredi (alias) remitti posse (quæ regula) verum usufruct. cautionem testamento remitti non posse (hæc est exceptio) Si itaque regulæ interpretationis ab ipso legislatore suppeditatæ benè se habent; certe hæc prohibitio cautionis remittendæ ad solum casum testamenti restringenda esse videtur. Quæ enim ratio obligat nos consequentiam trahere ad alios casus, cum 1. Lex expressè tantum loquatur de testamento 2. nulla alia lex de aliis casibus loquatur 3. ratio prohibitionis singularissima sit, quæ tendit in favorem hæredis ultimâ voluntate confirmati. Neque absolute ideo prohibetur remissio cautionis, quia sine illa prohibitione usufructuarius posset occasionem habere delinquendi &  
rem



rem usufructuariam in fraudem proprietarii dissipandi; sed ideo prohibetur remitti cautio, ne hæres, cui dominium relictum est, sine facto suo dominio rei cadat. Secus est in proprietario, qui rem inter vivos alicui in usumfructum concedit; hic sibi imputare debet, quod facto suo & culpâ sua proprietate rei, ejus usufructum concessit, & cautionem remisit, carere aliquando possit. Cui accedit, quod jus usufructuarii incipiat eo tempore, quo testator amplius non est, & quidem nondum tempore mortis testatoris, sed demum tempore aditæ hæreditatis, & per consequens jus suum nanciscitur ab ipso hærede, sine cujus consensu proinde cautio remitti non potest. Unde ob hanc rationum solidè conjicimus, legislatorem prohibuisse remissionem cautionis, quæ non militarèt eo in casu, ubi usufructuarius vivente eo, qui constituit, jus suum consequitur. Hic enim, dum cautionem remittit, sibi tantum præjudicat, non alii.

F I N I S.









Ka 3202.

Vp  
18


ULB Halle

007 678 533

3









DISSERTATIO JU.  
RIDICA  
DE  
CAVTIONE  
VSVFRVCTVARIA

LXIV.  
a

*Quam*  
P R Æ S I D E  
*VIRO Nobilissimo, Consultissimo atque  
Excellentissimo*

DN. JOH. HENRICO  
FELTZIO,  
J. U. D. Pandect. & Jur. Canon.  
P. P. celeberrimo

*ad Diem 16 Maji M DCC XV.*

SOLENNITER pro viribus  
defendet

CAROLUS MICH. de ROIFFE  
D'HANGEST,  
Argentinenſis Auctor.

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

